OBSERVATIONES CRITICAE ET GRAMMATICAE IN PUBLIUM PAPINIUM STATIUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT
ET
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AUCTORITATE
IN
ACADEMIA VIADRINA VRATISLAVIENSI
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XIX. MENSIS FEBR. A. MDCCCLXIII, HOR. XI
IN AULA MINORE
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

AEMILIUS NAUKE,
SILESIUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
E. TAUBE, DR. PHIL.
A. SUCKOW, CAND. MAGIST. SUPER.
C. KRETSCHMER, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE.
TYPIS OFFICINAE A. NEUMANNI.

Duas esse volui huius scriptiunculae partes, alteram criticam, alteram grammaticam. Atque ad illam quidem accessisse me novis subsidiis criticis destitutum professus non ignoro fore, quibus hoc consilium vel temere vel nimis confidenter cepisse videar. Quorum in me iure caderet reprehensio, si omnino id mihi proposuissem, ut librorum mss. secutus auctoritatem, discrepantibus scripturis diligenter examinatis, hic illic Statio restituerem, quod Statii esse videretur; nunc cum propter inopiam subsidiorum criticorum hac via ingredi mihi non licere viderem, statim ab initio in quaestionem vocare institui locos eos, in quibus nihili esse librorum memoriam appareret, qui partim a viris doctis temptati sunt, sed parum feliciter, partim vero, id quod mirum videri debet, tamquam plane integri per omnes editiones migraverunt ac pro Statianis venditati sunt, cum magno vitio sint inquinati.

In eiusmodi locis indagandis et, quoad fieri posset, emendandis maxime positam fuisse operam meam praefatus non vereor, ne rectam viam criticae artis factitandae prorsus deseruisse et hunc laborem frustra suscepisse videar. Alteram vero partem libelli mei, quae est grammatica, hoc nomine lectoribus commendatam velim, quod ad illustrandum sermonem poetarum cum ex aliis scriptoribus, tum ex Statio sedulo collecta continet exempla, quorum etsi vereor ne quaedam vel notiora sint, vel parum probabili ratione explicata, non contemnetur tamen haec commentatio ab iis, qui in sermone poetarum latinorum plurima adhuc incognita et obscura esse cogitant, quae clare perspici et ad artem redigi non possint, nisi singulorum auctorum locis accuratissime observatis. Ceterum de hoc toto libello meo ita judicari velim, ut viam ad majora molienda mihi aperire voluisse videar.

Pars I.

Theb. 1, 103.

Centum illi stantes umbrabant ora cerastae
Turba minor diri capitis; sedet intus abactis
Ferrea lux oculis, —

Describit poeta habitum faciemque Tisiphones furiae, quae diris precibus Oedipi commota ascendit ab inferis, ut nefarios filios eius ad fatalem exitum perducat. Atque capita quidem furiarum anguibus circumplicata fingi a poetis nemo est, qui ignoret, sed cur centum illi cerastae caput Tisiphones circumdantes appellentur a Statio turba minor diri capitis, frustra quaesiveris. Numnam habet illa varias turbas vel ulla ratione distinctas anguium? In numero quidem discrimen ponendum non esse docemur scholio Lactantii, qui ad „centum" vocem adnotat: „pro innumerabilibus posuit", Neque vero usquam poetae angues, quos furiis tribuunt, forma ac mensura, ut ita dicam, corporis ita distinguunt, ut dicatur turba minor aut maior i. e. minorum aut maiorum anguium. Ov. M. 4, 490:

Nexaque vipereis distendens brachia nodis
Caesariem excussit: (scil. Erinnys) motae sonuere colubrae.

ibid. 800: Gorgoneum turpes crinem mutavit in hydros vid. etiam Fast. 2, 257. Solent furiae apud poetas manibus angues tamquam arma gestare, quos, quando necesse est, e crinibus sumunt, velut apud

Ov. M. 4, 493. Inde duos mediis abrumpit crinibus angues
Pestiferaque manu raptos immisit.
Virg. A. 7, 346 Huic dea coeruleis unum de crinibus anguem
Conjicit inque sinum praecordia ad intima subdit.

Quibus in locis nullum est vestigium discriminis illius quod verbis Statianis indicari videtur. At potuit Statius suo arbitrio aliquid fingere in describenda facie furiarum reliquis poetis inusitatum! Id-ne factum esse credas accuratius perscrutemur locos ad eandem rem spectantes. Theb. 1, 89 Inamoenum forte sedebat
Cocyton juxta resolutaque vertice crines
Lambere sulfureas permiserat anguibus undas
ibid. 9, 153 jussi tenuere silentia crines
9, 173 Eumenis ex oculis rejecta coerula parma
Fugit et innumeri galeam rupere cerastae.
11, 494 Ora reducentem premit adstridentibus hydris
5, 67 implicitis arcana domorum
Anguibus et saeva formidine cuncta replevit
Limina. cf. 12, 647. 1, 113. 4, 485. 4, 55. 7, 466. 11, 65. 8, 763 silv. 2, 1, 185,

Haec pluribus fortasse exposuimus, quam necesse fuit, eo quidem consilio, ne nimis confidenter a Statio abjudicare videremur, quod librorum mss. consentiente memoria traditum usque ad hoc tempus ne dubitationem quidem Statii interpretum movit. Scholiastae nulla exstat interpretatio praeter glossam, quam Barth. attulit „a parte posteriore capitis, quia praecedebant majores in priore“ quae aut ab ipso Barthio ficta est, sicut multae, aut, si ex alio fonte fluxit, conscripta a glossographo aliquo, qui verba inepta etiam ineptiore explicatione tueri studuit. Equidem vestigia secutus vulgatae scripturae locum emendo sic:
Centum illi stantes umbrabant ora cerastae
Turba minax diri capitis
Similiter Catull. 64, 193:
Eumenides quibus anguineo redimita capillo
Frons exspirantes praeportat pectoris iras
cf. Sen. Med. v. 113. Herc. Fur. v, 85.

In versu 103 Ald. et alii ediderunt „Centum illi astantes“ (cf. Barth.) quae scriptura ex quo fonte pro-

dierit nescio. Illud vero moneo, a poetae manu profectum esse „Centum illi stantes umbrabant ora cerastae.“ Stantes i. e. rigidi, erecti angues, qua imagine poetae fingunt capillos furiarum.

Silv. 2, 1, 185 Nulla soror flammis; nulla assurgentibus hydris
Terrebit.

Theb, 8, 763 Stetit aspera Gorgo
Crinibus emissis rectique ante ora cerastae
Velavere deam. cf. 12, 609. 8, 519.

Theb. 2, 630.

Loquitur poeta de morte fratrum Thespiadarum, qui erant in numero eorum, quos clam miserat Eteocles rex, ut Tydeum legatum re infecta Argos remeantem ex insidiis nocturnis interimerent. Saucio jamque labenti fratri subvenit Periphas ac moribundi corpus manibus amplectitur cum

„multa gementi
Pone gravis curvas perfringit lancea costas
Exit et in fratrem cognataque pectora telo
Conserit“.

Rerum quidem ratio perspicua est, sed verba foedo vitio contaminata sunt. Est enim pleonasmus nullo pacto tolerabilis in his „lancea cognata pectora telo conserit“ quod idem est, ac si quis dicat „lancea cognata pectora conserit lancea“. Neque vero ulla vox subjecti vice fungitur in verbis „Exit et in fratrem cognataque pectora telo Conserit“ nisi ea, quae est in antecedentibus collocata scil. lancea.

Quid multa? Locum corruptum esse primo obtutu apparet, cui nescio an non meliorem medelam afferre possis, quam si scribas:

Pone gravis curvas perfringit lancea costas
Exit et in fratrem cognataque pectora leto
Conserit [1]).

---

[1]) Non movet me scholiastae auctoritas, cujus interpretatio vulgatam scripturam tueri videtur: „Cum multa gemeret a tergo percussus est et hostili gladio corpori fratris affixus“ quod scholion aut

Theb. 4, 53.

Saevus honos fluvio, Stygias lustrare severis
Eumenides perhibentur aquis; huc mergere suetae
Ora et anhelantes tuto Phlegethonte cerastas.

Est Ilissus flumen Atticae regionis furiis sacrum, ubi fessae a funestis itineribus considere et turbam anguium igneam molem spirantium mergendo in aquam reficere solent. Perquam absurdum est, quod Phlegethon, quem evomunt angues, tutus appellatur, cujus vocis loco Nic. Heinsius ad Claud. Rapt. Proserp. 3, 386 et Sil. It. 3, 574 e. codice antiquo legit poto Phleg. Alius codex teste Barthio servavit toto Phlegethonte cum varia lectione totum Phlegethonta quod recentiores prae ceteris commendant cf. Dubn. a. h. l. et Queck. in praef. ad Theb. p. 8[2]).

Sed neque poto Phlegethonte quod perquam frigidum est et Heinsio probatum esse miror neque toto Phleg. vel totum Phleg. sanum videri potest, sed facile deprehenduntur in his variis scripturis emendationes posteriorum verba depravata ad pristinam formam restituere conantium.

Neque omnino difficile sit, invenire voculam aliquam, quae hac illave ratione definiat vocem Phlegethonte. Sed si librorum mss. vestigiis insistere et

---

Lactantii non est, sicut multa, quae sub eius nomine feruntur (vid. Schottkyi dissertat. de pretio commentarii Lactantiani in Statii Thebaid. etc. editam Vratislaviae 1846 p. 4 sqq) aut ipse Lactantius jam corruptam ante oculos habuit scripturam, quam satis temere explicare conatus est. Etenim illius aetate jam mutata quaedam fuisse in genuinis verbis poetae, perspicuum est ex locis iis, ubi Lactantius criticam artem factitavit: (vid. Schottk. p. 24), Theb. 1, 85 Dissiliant multi dissentiant legunt. 5, 665 Rectoque Erymanthius ense quidam: Rectorque Erymanthius legunt. 5, 668 Commercia vitae alii vittae legunt. 7, 348 Coryciumque nemus quidam Ogygium legunt. Adde locum, quem Schottk. praetermisit: 7, 97 licet alibi undam legamus tamen melius umbram accipimus propter Melicerten qui se de Lycaeo monte praecipitavit in mare, in cujus honorem agon celebratur Isthmiacus, cujus victores pinu coronantur.

[2]) Vix mentione digna est interpretatio scholiastae Barthiani „cerastas tantum anhelantes, quantum totus Phlegethon“ vel alia „dum merguntur in Ilisso“ quae videtur vulgatam lectionem agnoscere.

Nauke, A., Observationes criticae et grammaticae in Publium Papinium Statium.
Diss. Breslau 1863. 35 S. 18

05/2.

loci naturae rationem habere volumus, nihil occurrat accommodatius quam illud:

huc mergere suetae
ora et anhelantes usto Phlegethonte cerastas.

Est antem „ustus Phlegethon" fervida seu ardenti mole profluens amnis. Sic fere Theb. 8, 17.

Tunc regemunt pigrique lacus ustaeque paludes
ubi vide Lactant. Lucan. 3, 13.
Praeparat innumeras puppes Acherontis adusti
Portitor. Stat. Silv. 2, 1, 186.
quin ipse avidae trux navita cymbae
Interius steriles ripas et adusta subibit Littora.

Passivum verbi „urere" omnino usurpatur pro ardere, calere: Stat, Silv, 1, 5, 46.

alio sol improbus uritur aestu.

Ov. M. 7, 109. Pectora sic intus clausas volventia
flammas
Gutturaque usta sonant.

Catull. 61, 176 Illi non minus ac tibi
Pectore uritur intimo
Flamma.

Theb 4, 557.

Terrigenae comites illos, gens Martia, cingunt.
His aevi mensura dies, manus omnis in armis
Omnis et in capulo: prohibent obstantque ruuntque.

Edocet Phoebeia Manto patrem suum caecum de turba advolantium umbrarum, nominatim eos, qui cernuntur, appellans, et quo quisque habitu visuque appareat accurate describens. Ac terrigenas quidem gigantes ait omnes in armis esse manusque ad gladios admotas habere:

manus omnis in armis
Omnis et in capulo.

Inest in his verbis id quod Tiresias cum propter caecitatem nesciat a filia docetur. Illa autem, quae praecedunt „His aevi mensura dies" nequaquam parem praebent sententiam, neque novum quidquam praedicant de gigantibus, quod eo demum tempore in iis appareat, quo Manto speciem umbrarum patri caeco describit. Atqui in libris mss. haec duo enunciata aequa-

bili structura antecedentibus adjuncta sunt, quamvis inaequabilis sententiarum ratio postulet, ut alterum sit secundarium alterum primarium. Quocirca in vulgata scriptura pronomen demonstrativum, quod exhibetur, mutandum censeo in relativum sic:

Terrigenae comites illos, gens Martia, cingunt,
Quis aevi mensura dies; manus omnis etc.

„Hi sunt illi gigantes, quos constat uno die natos et mortuos esse: omnis eorum turba armata est.“ Conjeceram ita rationem secutus sententiarum, cum postea opinionem meam confirmari vidi schol. interpretatione „quibus nascendi moriendique dies fuit“ qui si in poetae verbis enunciatum demonstrativum legisset, cur id relativo explicaret, causa sane non erat.

Theb. 7, 178.

Cedo equidem! quo sacra tamen ritusque peremptae
Gentis? et in tumulos si quid male foeta reliquit
Mater abire jubes? Thracen silvasque Lycurgi?

Precatur Bacchus Jovem, ne dilectas sibi Thebas everti sinat, ubi et natus sit et perpetuo sacris celebretur in honorem suum constitutis. Verba, ut vulgo scripta et distincta leguntur, sana haberi non possunt; de quibus Barthius haec: „dicit tantam se agnoscere crudelitatem ut nec infantibus Thebanis parsura sit nec reliquias caesorum sepulturae sit concessura. Verius tamen est, Bacchum de sua solum matre sermocinari, cujus tanto odio Juno ferveat, ut eruto tumulo cineres eruitura et abolitura veniat.“ Qua interpretatione nihil equidem vidi confusius. Reliqui interpretes tacent: qui mihi dicant quidnam intellectum velint sub his: „si quid male foeta reliquit mater“; si Bacchum, perquam mire de se loquitur Bacchus et oblitus est, se modo cessisse Jovi, quod quidem ad semet ipsum pertineret; si vero sacra, quibus reliquiae Semelae celebratae sint, ea jam significavit poeta versu antecedenti. Omnem loci difficultatem evanescere jubeamus ultima littera in voce „tumulos“ abjecta et verbis in huncce modum dispositis:

Cedo equidem. Quo sacra tamen ritusque peremptae
Gentis et in tumulo si quid male foeta reliquit
Mater abire jubes? Thracen silvasque Lycurgi?

i. e. quo transferri jubes sacra ritusque peremptae urbis et quidquid reliquiarum vel cinerum superest in tumulo misere extinctae matris? num ad inimicissimam nobis gentem?

Cinerum matris aptissime mentionem facit Bacchus ad Jovis animum permovendum veluti 4,675 queritur Bacchus:

Relliquias etiam fusaeque sepulcrum
Pellicis et residem ferro petit imqroba Tbeben (Juno)

idem: 7, 155 Excindisne tuas divum pater optime Thebas
Saeva adeo conjux? nec te telluris amatae
Deceptique laris miseret cinerumque meorum i. e. cinerum meae matris.

10, 67 Mulieres Argivae Iunonem precantur:
Adspice sacrilegas Cadmeae pellicis arces
Siderei regina poli, tumulumqne rebellem
Disice et in Thebas aliud, potes, excute fulmen

10, 903 Capaneus Jovis potestatem irridens:
Tu potius venias, quis enim concurrere nobis
Dignior? En, cineres Semeleaque busta tenentur.

Hisce ex locis verisimile est, cinerum Semeles mentionem factam esse in oratione Bacchi patrem suum a consilio evertendarum Thebarum avocare cupientis. Ceterum vix est, quod meam emendationem palaeographicis rationibus commendem. De accusativo „Thracen silvasque" vide excurs. gramm.

Theb. 10, 525.

Hi praefixa solo vellunt munimina, at illi
Portarum objectus lacerant et ferrea sudaut
Claustra remoliri trabibusque arctata sonoro
Pellunt saxa loco.

Exercitus Argivorum ad capiendas Thebas intentus variis modis impedimenta murorum superare conatur. Qua in descriptione cum cetera plana et aperta sint, justam dubitationem movent illa.

trabibusque arctata sonoro
Pellunt saxa loco.

Nam locus cur sonorus dicatur, intelligi non potest. In editione Lindenbr. haec exhibentur sic:

trabibusque et ariete sonoro

Pellunt saxa loco" quam infelicem auctoris emendationem recte dixit Barthius. Ipse in Lindenbr. membranis et suis duobus codd. invenisse se profitetur" trabibusque arctata sonoris Pellunt saxa loco „et satis obscure adjicit" Trabes sonorae per se dici non possunt cum autem ferro armantur et praefiguntur omnino sic appellari possunt" Quodsi revera Barth. ita scriptum invenit, quamquam a recentioribus editoribus de discrepantia scripturae nihil observatum est, quaeritur possitne hac medela adhibita locus sanus haberi. Equidem vix crediderim. Etenim si Barthio de „trabibus sonoris" adstipulemur haud scio an parum sermoni poetico conveniant illa nude juncta „arctata saxa". Genuinae scripturae vestigia inesse videntur in voce „sonoro" quae ego secutus, observato ingenio poetae, non dubito vehementiore, ut primo obtutu videtur, emendatione locum restituere in hunc modum:

trabibusque arctata sonora

Pellunt saxa lyra.

„Lyra" in mss. exaratum fuit, ut solet, litteris „lira" quod liberarii errore mutatum est in „loco" atque hic est fons totius corruptionis, siquidem „sonora" quod a poeta relictum esse videtur, convenientiae verborum causa mutari debebat in „sonoro" vel „sonoris." Sententia autem, quae existit, recepta conjectura mea, admodum prodit indolem Statii, qui nescio quo mentis affectu fabulam de origine Thebarum ubique tangit, sive quod ea revera in praeclarissimis est, sive quod divina vena praeditum poetam ea insigniter alliciebant, quae de coelesti vi ac potentia vatum antiquitus tradita cum tanto eius artis honore per ora hominum migrabant. Ceterum eleganter dispositam sententiam agnosce in eo, quod muri, qui canente Amphione ultro sese erigebant, iidem profano impetu arietis percuti finguntur.

Sic de reficiendis muris Theb. 4, 356.

ipsa vetusto

Moenia lassa situ magnaeque Amphionis arces
Jam fessum senio nudant latus, et fide sacra

Aequatos coelo surdum atque ignobile muros
Firmat opus.
8, 346: Stupet insolito clangore Cithaeron
Marcidus et turres carmen non tale secutae.

Nec vero a natura loci absonum est, quod saxa sono lyrae arctata i. e. muri singulis lapidibus inter se convenienter aptatis, insigni firmitate praestare et conatibus oppugnantium resistere videntur. At contra Capaneus impia mente

„Increpat attonitos: Humilesne Amphionis arces
Pro pudor! hi faciles carmenque imbelle secuti
Et mentita diu Thebarum fabula, muri.“ vid. 10, 873.

7, 455 de terrore Thebanorum:

Discurrunt muris, nil septum horrore sub illo,
Nil fidum satis invalidaeque Amphionis arces.

7, 665 Eunaeus Bacchi sacerdos per agmina cursans vociferatur:

Parcite in haec ultro scopuli venere volentes.

2, 452 Tydeus perfido regi minitans

Reddes,
Ingeminat, reddes; non si te ferreus agger
Ambiat aut triplices alio tibi carmine muros
Amphion auditus agat.

Adde Theb. 8, 234. 1, 10. 4, 611. Silv. 3, 1, 115. 3, 1, 16. 3, 2, 41. Theb. 10, 772. 10, 778. 11, 649. 7, 279. Ach. 1, 13.

Theb. 9, 343.

Nihil ille, sed ibat
Cominus, opposuit cumulo se densior amnis
Tardavitque manum; vulnus tamen illa retentum
Pertulit atque animae tota in penetralia sedit.

Cum Hippomedon fugitivos Thebanos per flumen secutus Ismenidis nymphae filium Crenaeum hasta transfixurus esset, ipse amnis mole aquarum se opposuit „tarvavitque manum“.

Quae sequuntur vitiosa sunt. Etenim in altero membro subjectum plane omittitur, quamvis appareat

vocem vulnus i. e. telum [3]) ex antecedenti pro subjecto subaudiendam esse. Tali autem licentia sermonis nusquam usum deprehendas Statium. Quominus autem „manus“ subiecti loco retineamus, obstat sententia, quamquam scholiasta Barthii ita statuisse videtur, qui explicat „non prius cessavit quam ibi consedit“.

Ceterum absona est structura haec „sedere in aliquid“ cum frequenter usurpetur „sedere“ de ictu vel telo quod intrat et vulnus facit:

Theb. 10, 656. Omne sedet telum, nulli sine caedibus ictus.

Sil. It. 5, 345. Ov. M. 3, 87. Fast. 1, 576. Sil. 7, 606.

Sed eam ipsam ob causam, quod est sedere in tali re usitata vox in nostrum locum inducta esse videtur, quam libenter amplecterer, nisi verborum ratio grammatica obstaret. Nunc scio „sedet“ corruptum esse ex voce aliqua, quae non respuit subjectum „manus“. Sed nihil pro certo affirmare audeo praeter illud, vitio laborare hunc locum.

Theb. 10, 699.

quid, si insidiis et fraude dolosa
Rex agit, extrema est cui nostra in sorte timori
Nobilitas tuaque ante duces notissima virtus?
Illius haec forsan remur, quae verba deorum
Ille monet; ne frena animo permitte calenti.

Sunt verba Creontis filium Menoeceum a proposito suo revocare cupientis. Cum enim Tiresias vates triste illud responsum tulisset:

Cadat generis quicunque novissimus extat
Viperei: datur hoc tantum victoria pacto

Menoeceus vi divina impulsus e campo decessit mortem voluntariam procul a proelio subiturus.

---

[3]) „Vulnus“ hoc loco pro „telum“ usurpatum est, ut saepe Theb. 11, 53 subitum obliquo descendit ab aere vulnus Virg. A. 7, 533:

haesit enim sub gutture vulnus et udae
Vocis iter, tenuemque inclusit sanguine vitam,

ubi vulnus est pro sagitta quae infert vulnus cf. Markland. ad Silv. 2, 2, 6. cf. schol. ad Th. 9, 345.

Cui pater occurrens nil, ait, credendum vati, quippe qui et indignus sit tanto munere deorum, ut voluntatem eorum perspiciat, et fortasse ab Eteocle rege corruptus ita fieri jusserit:

Illius haec forsan remur, quae verba deorum
Ille monet.

Nemo interpretum in his offendisse videtur praeter Barthium, qui dicit „Valde plebeius hic sermo est, ut suspicer intrusum esse aliunde versum, quo optime sententia careat. Quid enim aptius hac scriptione:

tuaque ante duces notissima virtus.
Ille monet: ne frena animo etc.

Hallucinatur Barthius, ut solet, quamvis recto a judicio profectus. Id enim verum, languere orationem et in his „Illius haec forsan remur", et propter pronomen „ille" in eadem sententia diversa structurae ratione bis positum. „Illius" enim pertinet ad Eteoclem, „ille" ad Tiresiam. Sed nihil frigidius praesertim in tam gravi re, quam regem dicere, se forsan regis dolum esse arbitrari. Nam quod esse remur, non, forsan esse, remur. Quocirca leni mutatione admissa, et verborum et sententiae rationem restituimus, scribendo distinguendoque sic:

Illius haec forsan, remur quae verba deorum,
Iste monet.

„Fortasse vates iste, cui tu tantopere confidis, consilia regis suadet, quae nos deorum esse arbitramur". „Iste" pronomen aptissime spectat ad Tiresiam in oratione Creontis alloquentis filium, qui Tiresiae monitu ad mortem ire paratus erat. Nam pronomen „iste" usurpari constat ad ea ostendenda, quae ad eum quaqua ratione pertinent, quocum loquimur.

Potuit autem hoc loco aberrantibus oculis librarii „iste" facillime mutari in „ille" quippe quod in initio antecedentis versus legatur. Confirmatur praeterea interpunctio verborum, quam ego feci, scholiastae auctoritate ita locum interpretantis „forte regis haec verba sunt, quae nos responsa credimus numinum."

Achill. 1, 90.

Pelea jam desiste queri thalamosque minores.
Credideris peperisse Jovi nec inulta dolebis.

Solatur Neptunus Thetidem questam de iniqua sua sorte, quod, cui summi Jovis nuptiae promissae fuerint, ex mortali mortalem genuerit; cui fato destinatum sit, ut bello Trojano pereat. Quodsi dolenti Neptunus diceret „puta te peperisse Jovi" id sane per ludibrium dicere videretur. Ut vero „credideris" pro futuro exacto simplicis futuri notione accipiamus, fieri non potest, obstante verborum, quae sequuntur, structura. Omnino scribendum est „Crederis peperisse Jovi" quod ego olim conjeceram, cum in hanc opinionem jam incidisse doctus sum Menkium in Observatt. crit. in Statii Achill. Gottingae 1814 p. 19. Itaque de eo loco disputare supersedissem, nisi in omnibus editionibus absurdam librorum mss. lectionem retineri viderem, de qua ut omnis in posterum dubitatio sublata videatur, auctoritatem affero, qua Menkius usus non est, certissimam scholiastae, qui in interpretatione sua ipsius poetae verba fere propria servavit, ut locus non tam conjectura sanatus quam e scholii vestigiis restitutus haberi debeat. Est autem schol. explicatio haec:

Cum Juppiter vellet, Thetiden ducere, fata prohibuerunt, eo quod proles, quae nasceretur Jovem pelleret regno. Thetis nupsit Peleo mortali homini. Ergo dum quereretur apud Neptunum et timeret de morte Achillis eo quod patre esset mortalis, dicit Neptunus non timeri de eo, quia talis futurus esset. ut credatur Deo genitus. Ergo sic illam consolatur: Noli querere (scribe: noli queri vel ne querere) quod de Peleo mortali sit genitus, quia crederis eum de Jove peperisse."

Silv. 2. 6. 10.

Sed famulum gemis, Urse pium, sed amore fideque
Has meritum lacrimas, cui major stemmate juncto
Nobilitas ex mente fuit. Ne comprime fletus,
Ne puderet; rumpat frenos dolor iste, deisque

Si tam dura placent, hominem gemis — hei mihi, subdo
Ipse faces — hominem, Urse tuum.

Scriptum est carmen in consolationem Flavii Ursi obitu pueri delicati admodum dolentis, Sed justum esse dolorem illum identidem affirmans poeta amicum alloquitur;

ne comprime fletus
Ne pudeat; rumpat frenos dolor iste

quae jam sequuntur „deisque si tam dura placent“ cum nexum sententiarum tum structuram verborum prorsus pervertunt, de quibus Gevart. Papin. Lect, II, 15 haec notat: Ego recenti parenthesi malo dicere aposiopesin hic latere. Incitat enim Ursum ad dolendum hortaturque ut frenos dolori laxet et Deos accuset, quod puerum egregium adeo immatura morte abstulerint. Itaque cum ait „Deisque“ subaudi „convicia inferas“ aut quid simile. Vel lege Deosque

rumpat frenos dolor iste deosque
Si tam dura placent,

Deos rumpe id est „deorum invidiam contemne, vel fortiter feras.“ Haec refellere operae pretium non est, quamquam refellit Marklandus p. 243.

Ipse conjecturam commendat Gronovii, qui scribit

rumpat frenos dolor iste (Deisne
Hei tam dura placent)

et haec adnotat Diatr. Cap. XXI. p 202: „Summa ars excellentissimi poetae est, quod periodos breves velut singultibus interstinguit. „Ei“ in vitt. libr. scriptum fuerat, ut assolet „Hei“ id in „Si“ degeneravit.“

Equidem vereor, ne nimis frequenti usu parentheseos ars illa, quam summam putat Gronovius, funditus tollatur e sermone poetico, nam de ipsa quidem sententia Gronov. emendationis. quae nullo pacto probabilis videtur non opus est plura dicere. Bentlejum miraberis vulgatam lectionem defeudere ad Hor. Serm, 2, 7, 83 his „Famulum, inquit, gemis, sed pium, sed mente ingenuum. Esto igitur famulus; (si deisque tam dura placent h. e. ut tam liberalis puer indolis vel nascendi conditione vel captivitatis sorte foret servus) at hominem gemis: quid hic pudendum? quanto

hoc justius, quam quod Persae equum fortem, Molossi canem fidum lugent extinctum.“ Sed nullo pacto ferri potest illud que in voce „deisque“ quod Bentleii acumen fugisse dolendum est. Vid. Markl. ad h. l.

Latet corruptela in una voce „deisque“ quam sustulisse mihi videor conjectura hac:

rumpat frenos dolor iste d e c u s q u e
Si tam dura placent.

„Rumpat iste dolor tuus frenos omnes excedatque honestatem, si tam dura sors nimis lugendi tibi placet.“ Sententia, quae existit emendatione mea recepta, non solum conveniens est loci naturae sed fere necessaria. Nam in verbis „rumpat frenos dolor iste“ neque quales illi freni sint neque quo jure dolenti injecti perspicuum est. Nunc autem apparet, esse frenos illos, quos honestas viris in dolendo injicere solet. Notum enim illud Taciti „Feminis lugere honestum viris meminisse“ Commendat etiam conjecturam meam codex Vratislav. qui exhibet „dicesque.“

Silv. 3, 2, 117.

Duc et ad Aemathios manes, ubi belliger urbis
Conditor Hyblaeo perfusus nectare durat,
Anguiferamqne domum, blando qua mersa veneno
Actias Ausonias fugit Cleopatra catenas.

Mentionem facit poeta mortis ac sepulcri Cleopatrae quam tradunt nonnulli anguibus in sinum adductis perisse. Ad versum 119 Marklandus adnotat „Somno quidem (qui liquidus et irriguus poetis passim dicitur) Cleopatra mersa i. e. obruta per metaphoram dici potuit: et mersa veneno luxuriae vel disidiae etc. per eandem metaphoram; sed non simpliciter mersa veneno, ubi de morte ejus agitur, nisi in dolium vel lacum vel tale aliquod veneni receptaculum conjecta fuisset: non enim mersa fuit, sed absumpta et extincta veneno“.

Revera in verbis „mersa veneno“ vix sensus ullus esse potest praeter illum. quem exposuit Marklandus, quamvis aliter videatur Dubnero, qui non opus esse dicit conjectura, nam mergi esse verbum de somno usitatum. Intelligit igitur Dubnerus mersam pro

„consopita“ dictam, quae vis existit adjecta voce „somno“ sed in nudo verbo non est. Nimis acuta et a vulgata lectione absona est emendatio Marklandi: „blando qua mersa veterno Actias Ausonias fugit Cleopatra catenas.“ En, quam leni mutatione omnis evanescat difficultas:

blando qua morsa veneno
Actias Ausonias fugit Cleopatra catenas i. e. blando anguium venenatorum morsu vulnerata“. Blandum scil. vocatur venenum, quia torpore et somno Cleopatram nihil sentientem conficiebat Sic Prop. 3, 9, 54 de eadem re:

Brachia spectavi sacris admorsa colubris
Et trahere occultum membra soporis iter.

De genere mortis Cleopatrae cf. interprett. ad Vellei. 2, 87, 2.

Silv. 3, 5, 57.

Sic ut mater amas, sic numquam corde recedit
Nata tuo fixamque animi penetralibus imis
Nocte dieque tenes. Non sic Trachinia nidos
Halcyone vernos, non sic Philomela penates
Circuit amplectens animamque in pignora transfert.

„Verni“ Halcyones nidi jure omnibus offensioni fuerunt, quoniam constat, has aves non vere nidificare sed hieme, de qua re vid. Hygin. fab. LXV. et Serv. ad Virg. Georg. 1, 399 — Ov. Met. 9, 745.

Perque dies placidos hiberno tempore septem
Incubat Halcyone pendentibus aequore nidis. —

Neque vero aliam fabulam secutum esse Statium cognosce ex l. Theb. 9, 360:

Fluctivagam sic saepe domum madidosque penates
Halcyone deserta gemit, cum pignora saevus
Auster et algentes rapuit Thetis invida nidos

cum schol. interpr. Vide etiam Markl. ad h. l.

Marklandus scribit „veros nidos“ i. e. veros pullos „quasi dixisset, Halcyone non magis fovet suos proprios et veros pullos, quam tu defuncti mariti filiam, quae quidem sanguine non vere tua est, inductitia scilicet, et ab aliena quasi manu: tu tamen qua es pietate eam velut veram tuam sobolem amore et cura prosequeris“.

Sententia. quae efficitur emendatione Markl. cum omnino languida sit, tum in eo claudicat, quod, si veros nidos dicere voluisset poeta, aliam potius avem in comparationem adduxisset. Nunc in Halcyones mentione singulare quid exspectamus. Proinde vix dubito, quin scriptum reliquerit poeta:

Non sic Trachinia nidos
Halcyone hibernos, non sic Philomela penates
Circuit amplectens.

Vox „hibernos" exarata fuit, ut solet, litteris „ibernos" vel „iuernos" quod vel ductuum similitudine vel inscitia librarii, qui fabulae Halcyones ignarus quid hibernus nidus sibi vellet non intellexit, corruptum est in „uernos".

Pars II.

Excursus grammatici.

Locus de quo supra commentati sumus Theb. 7, 176 ansam dat nobis disserendi quaedam de usu et structura verborum cum nominibus junctorum observata. Ut igitur inde ordiamur, unde hujus disputationis occasio nobis facta est, solent saepe poetae, interdum etiam solutae orationis scriptores, in verbis motum versus aliquem locum exprimentibus, nudo accusativo uti pro accusativo cum praepositionibus, in, ad, conjuncto[4]). Quem usum non injuria dixeris esse vetustissimum accusativi. Et maxime quidem usitata est haec ratio loquendi in nominibus propriis regionem aliquam significantibus, tum in substantivis, tum in adjectivis ad nomen appellativum accedentibus. Persaepe etiam a nomine urbis vel praecedenti vel subsequenti absolutus accusativus ad alia nomina videtur translatus esse.

---

[4]) Nonnulla hujus generis exempla ex aliis poetis collegit Ruddimannus in institution. gramm. latinae II. p. 284 not. 38 praeterea cf. Cic. leg. Man. 12 Inde Sardiniam cum classe venit. Nep. 4, 2, 1 Pausaniam cum classe Cyprum atque Hellespontum miserunt.

Theb. 1, 324 Tunc sedet Inachias urbes Danaeiaque arva
Et caligantes abrupto sole Mycenas
Ferre iter impavidum.

7, 162 sed non Danaeia limina talis Parrhasiumque nemus Ledaeasque ibis Amyclas Ach. 2, 348 terrasque freto delatus Achaeas Hospitis Atridae 2, 247 Mittitur Haemoniam. Theb. 7, 180. 7, 424 Jam ripas, Aesope, tuas Boeotaque ventum, Littora vid. 2, 322 — 8, 513 Tartara ire. 1, 643 penates advenire. 3, 121 Ut vero infames scopulos silvamque nefandam Perventum cf. Ov. met. 3, 462 Virg. Aen. 4, 124. Theb. 5, 280 gemini qua brachia muri Littus eunt. Silv. 3, 5, 81 has ego te sedes transferre laboro. 4, 6, 60 Et comitem occasus secum portabat et ortus. Hoc dicendi genus etiam in nomine abstracto usurpavit Statius Theb. 5, 47 unde hos advenias regno dejecta labores.

D a t i v u m in sermone poetico persaepe usurpari locali quadam significatione, cum ex aliis poetis notum est, tum exemplis Statianis comprobatur plurimis. Non dico verba composita, in quibus vis praepositionis requirit dativum, de qua re infra disputabo, sed quaedam verba movendi, quibus cum initio certorum substantivorum dativi formae adjungerentur, paullatim crebrescere usus et ad similia nomina transire coepit. Quamquam inde non sequitur quod quidam volunt, dativi vim ab initio propriam fuisse localem, quae si esset etiam in nudo dativo cognosceretur. Nunc ejus modi dativum non invenias nisi a certo genere verborum pendentem.

Ac primo quidem haec ratio dicendi propagata fuit vocibus „neci morti, capiti“ in quibus non injuria obsoleti casus locativi proprias formas recognoscas [5]).

Theb. 12, 764 Hippomedonta neci Capaneaque misimus umbris Pectora. Ov. M. 7, 606, 15, 109 Corpora missa neci v. Fast. 5, 624. Virg. A. 12, 513.

---

[5]) Cf. Haas. ad. Reis gramm. p. 630 adnot. 520. De usu vid. Reisig. § 367 et § 379. Ruddim. II. p, 154. Heindorf. ad Hor. Sat. 2, 5, 47.

Cul. 186 morti, demittere neci: Virg. A. 2, 85. Sil. It. 12, 468. Virg. A. 5, 691 infesto fulmine morti, Simereor, demitte, Eadem ratione dicitur „mittere, demittere leto". Theb. 1, 659 Insignemque animam leto demitte 6, 736. Val. Fl. 7, 314 — mittere leto: Ov. Fast. 2, 664. 5, 385. Claud. Ruf. 1, 236. Similiter apud Virg. Aen. 9, 433: Volvitur Euryalus leto. 10, 319 dejicere leto. Luc. 3, 290. Inde usus transfertur ad similes locutiones, cujusmodi sunt: „mittere umbris, Orco, Eribo etc." Theb. 12,764 Capaneaque misimus umbris Pectora. Silv. 2, 4, 33. Theb. 6, 821 sepulcro. Virg. A. 9, 785 Orco. 2, 398 cf. 9, 527. Sil. It. 10, 137 vadis liventis Averni Demitti globus ille cupit vid. Drakenborch. ad Sil. 11, 142. Ov. M. 3, 695: Corpora Stygiae demittite nocti. descendere: Theb, 11, 463 seseque polis et luce relicta Descensuram Erebo [6]). Sil. It. 13, 708 descendere nocti. 13, 759. Ov. M. 3, 14 Cadmus descenderat antro. deferre silv. 2, 3, 74 Elysio deferre. Theb. 7, 785 Erebo. Perquam frequens idem est usus dativi in vocibus „solum, humus, terra, pelagus" simill.

Theb. 7, 92 Vina solo fundens. 1, 644 fundite vina focis Ach. 2, 347 solo procumbere. Ov. M. 5, 122 Procubuit terrae vid. Gron. Diatr. p. 246 13, 176. 10, 210. 3, 127 Is sua jecit humo monitu Tritonidis arma ubi vett. edit. „humi" [7]). — Theb. 5, 502 Mer-

---

[6]) Vim verbi descendere usitati de umbris ad inferos euntibus illustravit Gronov. diatr. Stat. p. 587 Cort. ad Luc. 6, 713.

[7]) Fluctuant plerumque in his locis libri mss. de quo vid Heins. et Burm. ad Ov. Fast. 3, 2, 25 et Burmann. ad. Met. 4, 121. Ablativus (et quae eius notioni respondet, forma „humi") non ubique abjici debet, quippe qui actionem verbi jam absolutam et rem ultra finem motionis certo statu defixam spectet. Est autem artificiosioris usus ablativus, quam dativus, qui nihil nisi motum ad locum aliquem directum significat. Ov. M. 13, 541 figere lumina terra i. e in terra, nam nudum ablativum locali notione apud poetas passim usurpari constat, quorum nescio an nemo in ea re audacior fuerit quam Statius

Theb. 5, 387 Spiculaque et multa crinitum missile flamma
Nunc pelago nunc puppe cadunt

ubi ablativum posuit in verbo, quod propria sua significatione desiderat accusativum cum praep. in. Quippe obversatus est animo poetae status, qui motum sequitur, ut non tam quo tela cadant describatur, sed quid mali ibi coacervata misere vexatis addiderint

gere humo. Ov. Am. 3, 5, 20 terrae deponere caput. Theb. 7, 755 Sternere terrae. Cf. Virg. A. 11, 87. Theb. 5, 573 solo figere. 7, 801. 9, 89 collecta ut pectora parmae Fixerat cf. silv. 3, 5, 55. 3, 1, 148. Theb. 2, 605. murmura figere: Ach. 1, 380 auribus. oscula figere: Theb. 12, 27 vulneribus. Ov. M. 3, 25 terrae. (Translata notione „fixus" est „firmus, ratus" cf. Theb. 6, 394. nil fixum cordi. Silv. 1, 2, 58. cordi fixa voluntas). Virg. A. 6, 652 terrae defixae hastae Ov. M. cf. 11, 76 Met. 9, 84 cornua figit humo. 5, 647 Spargere humo. Fast. 2, 648. Theb. 2, 647. 10, 517. 6, 89 praecipitare solo. 8, 466 descendere ponto. 3, 57 pelago. 11, 276. Ov. Her. 14, 15 jugulo demittere ferrum. Met. 13, 436. 12, 278. Sil. It. 5, 353. Proinde polo crescant Alpes astrisque coruscos Apenninus agat scopulos. 1, 1 Ordior arma, quibus coelo se gloria tollit Aeneadum. 1, 277. 1, 370. 1, 508. 12, 410. et Drakenb. ad 5, 353. Theb. 7, 435 Praecipitant cuncti fluvio Ov. M. 4, 92. silv. 3, 2, 29 Pars demittat aquis curvae moderamina puppis.

Audacius loquendi genus cognoscitur in his:

Theb. 5, 351. qua longe pelago despectus aperto.
Theb. 4, 239. Qui te, flave, natant, terris Alphee, Sicanis Advena
Adde Ov. M. 9, 210. 2, 580.
Virg. Aen. 5, 451.
Ach. 2, 10 It pelago secura ratis. Silv. 1, 2, 212 ire polo [8]).

Pergit enim poeta: dat operta fragorem Pinus et abjunctis regemunt tabulata cavernis Similiter Theb. 9, 536 de quercu:

Illam nutantem nemus et mons ipsa tremiscit
Qua tellure cadat, quas obruat ordine silvas.

De forma humi in verbis motum qui fit ad locum aliquem significantibus disputat Ruddim. II. p 272 not. 5, ubi hunc usum tot exemplis illustravit, ut de eo dubitari nequeat. Omnino in hac re plurimum valere debebit librorum mss. auctoritas, si non ex proprio cujusque scriptoris usu judicium fieri potest De Statio quidem mihi liquet ex observatione exemplorum, dativum semper ob eo usurpatum esse, ubi reliqui interdum „humi, terra", dicere solent. Sic Virg. A. 5, 577. 1, 192. Ov. M. 3, 105. 5, 191.

[8]) Subtilius quam verius de hoc genere dativi disputat Handius in nota ad Gronov. Diatr. Stat. p. 36: „Grammatici quidem praecipiunt, dativum apud poetas ita usurpari, ut „ire castris, ire polo"

Silv. 1, 1, 82. tentasses me non audente profundo
Ire lacu sed Roma tuas tenuisset habenas [9]).
1, 5, 53. Extra autem niveo qui margine coerulus amnis
Vivit et in summum fundo patet omnis ab imo
Cui non ire lacu pigrosque exsolvere amictus Suadeat

Adde silv. 1, 1 28,cum adnott. Handii et Marklandi. Theb. 5, 618, (parvus) cui nunc venit irritus ori
Lactis et infelix in vulnera liquitur imber ubi alter dativus „cui" est dat. commodi, alter „ori" dat. locali vi indutus „welchem zu munde kommt". Singularis usus sunt: Propert. 1, 15, 8 ire viro. 1, 20, 32 Hylas ibat Hamadryasin. Sil. It. 15, 327 ire sorori.

Est quoddam genus verborum, quae cum pertineant ad vim verbi „esse" dativum assumunt, non localem illum, ut quibusdam visum est [10]) sed qui ab universa sua vi, quae est significandi finis, non sit alienus Theb. 5, 98 Infelix comitatus eunti Haerebant nati cf. 9, 808. 11, 357. 1, 345. silv. 2, 1, 91

---

idem sit atque „in ipsa castra ingredi, in coelum ascendere" sed haec subtiliori indigent distinctione. Dativus enim numquam eo quo dixi modo adhiberi potest nisi de directione ad aliquem locum sermo sit, vel de eo, quod versus aliquem locum modo dirigitur, quod ad regionem aliquam tendit".

Hanc definitionem falsam esse et dativum etiam mera notione praepositionum in, ad, cum accusativo junctarum adhiberi, multi possunt argumento esse ex locis iis, quos supra proposui. Proinde errat vir doctissimus, cum „ire polo" in hoc genere exemplorum poni non posse existimet sed pro ablativo locali omissa praepositione in habere videatur vid. Hand. ad silv. p. 306.

[9]) Fluctuant editiones in hoc versu. Quaedam exhibent „profundos ire lacus" quam scripturam unius codicis Vratislav. auctoritate refutare licet „profundo ire lacus et" unde perspicuum est, corruptelam ortam esse ex vocibus „lacu sed". Vid. etiam Hand. ad h. l. et ad 1, 1, 67 Markland. p. 163, quamquam quod is dicit magis Statianum esse „profundo lacu" quam „profundos lacus" vereor ne temere dictum sit. Vid. quae de nudo accusativo a verbis motum significantibus apto disputavimus in initio excurs. Una cod. Vrat. auctoritas, ut dixi, in hac re dubitationem tollit. Est autem et in hoc loco et in altero silv. 1, 5, 53 „lacu" dativus. Nam ablativi vis localis, quae in quieto statu significando posita est, non convenit locorum naturae, neque ea dativi notio quam proposuit Handius ad Gronov Diatr. p. 36. Vide quae dixi in nota antecedenti.

[10]) cf. Reisig. gramm. § 379.

alumno. 4, 4, 24. Theb. 10, 101. (loc. spur.) 10, 114 (loc. spur.) Theb. 1, 610. silv. 1, 4, 118. 3, 3, 65. Ov. M. 8, 144. Rem. 68 capiti, Met. 12, 370 ossibus. (Verbum „jungere“ causativum quod dicere licet verbi „haerere“ cum dativo jungitur: Theb. 8, 494. 8, 544. 9, 771. 10, 249. 10, 520. Silv. 3, 2, 65. cf. Theb. 6, 720. (loc. spur.) Silv. 5, 3, 253. Ach. 2, 48. 2, 224. 2, 243.) Theb. 4, 129 capiti tremit aerea cassis 4, 154 flavent capiti tergoque leonum Exuviae[11]). Virg. Aen. 10, 270 Ardet apex capiti. Theb. 1, 609. Ov. M. 6, 593. Quaedam verba pertinent ad vim verbi „abesse“ quae est contraria simpl. verb. „esse“. Virg. Ecl. 6, 16 serta procul tantum capiti delapsa jacebant cf. Heyn. ad h. l. labi: Ov. M. 3, 699 lacertis catenae. Am. 1, 6, 39 cornua comis. Fast. 3, 29 capillis vitta.

Larga suppetit copia verborum compositorum, in quibus dativum usurpavit poeta pro accusativo cum praepositionibus in, ad, inter simplici verbo adjuncto; quae structura etsi serioris aetatis scriptorum communis est, tamen nescio an nemo in ea adhibenda crebrior fuerit Statio, qui etiam adamavit in hoc genere quaedam verba composita apud alios scriptores aut rara admodum aut plane insueta, reliquis ita usus est, ut structuram dativi constanter sequeretur. Jam igitur ab his notioribus profecti enumeremus illa quae sunt rarioris usus.

Inferre: Theb. 2, 726 arvis 5, 240 thalamis. 1, 185. 2, 560. 5, 714. 8, 751, silv. 4, 2, 2. Laurentibus agris vid. etiam silv. 3, 2, 28. 3, 2. 22. Theb. 2, 119. Ov. M. 9, 272. 15, 846. Semel posuit praepositionem „in“ cum accusativo Theb. 7, 698 medius infertur in hostes. Inducere: Theb. 2, 200. regnis. 12, 226. 12, 464. Ach. 1, 125. 1. 548. Ingerere; Theb. 9,

---

11) Parum acute de eo usu disserit O. Muellerus in „Qua est. Stat. programm des gymnas. Zum grauen Kloster Berlin 1861, p. 28, cum enumeratis quibusdam hujus et alius generis exemplis explicat: „His et multis aliis locis dativum ponit pro praepositionibus cum casibus suis“.

708 miserantibus hastas. 11, 172 galeae orbes silv. 3, 1, 159 vid. etiam Theb 4, 180. 7, 467 transl. notione. Invehere: Theb. 2, 152 regnis. Accusativum posuit in nomine proprio adjectivo 12, 597 cf. 2, 203. 7, 6. Injicere: Theb. 3, 434 Aegaeo. 6, 139. 9, 500. 9, 806. 10, 439 puero. 11, 204. 11, 595 silv. 2, 2, 98 vid. Theb. 2, 452. 1, 252. Immittere: Theb. 2, 223 Ach. 1, 651 Peliacis silvis nivibusque immisit alendum Silv. 3, 2, 63 cf. etiam 3. 6, 84. 2, 3, 71. Imponere: Theb. 6, 321 Sol natum imponeret axi 5, 139. silv. 1, 3, 44. Infundere: Theb. 1, 405 infusa tergo glacies. 9, 877 silv. 5, 4, 16 Theb. 1, 500 transl. not. Infodere: Theb. 5, 300 impia terrae scelera. Ablativum usurpavit satis artificiose vi instrum. 6, 819 non has ego pulvere crasso Atque cruore genas — infodiam? Insternere: Theb. 9, 374 toris 11, 600 silv. 3, 1, 35. Theb. 12, 800. Illidere: Theb. 5, 592 terrae 6, 217. 4, 730. Ov. M. 5, 121. 12, 250. Lucr. 4, 1073. Val, Fl. 7, 52. Infringere: Ach. 1, 574 digitosque sonanti Infringit citharae. Theb. 2, 556 Ov. M. 5, 83 Inserere: Theb. 4, 20. 2, 710. 6, 356. 11, 206. Insertare: 5, 891. 3, 550. 12, 460. Intorquere: 2, 160. Innectere; Theb. 1, 511. 2, 99. 4, 26. 11, 75. Immergere: Silv. 5, 5, 19. 3, 1, 119. Impingere: Theb. 4, 317. 7, 28. 10, 765, 8, 34. Sil. It. 4, 299. 12, 187. Immurmurare: Theb. 11, 64 terrae cf. Ov. M. 11, 187. 6, 558. Virg. Georg. 4, 261 silvis immurmurat Auster. Illabi: Theb. 1, 294 regnis illapsus opacis. 1, 602. 10, 277. 12, 112. Virg. Aen.. 2, 240 Hor. od. 2, 17, 27 Aen. 3, 89 Sil. It. 15, 95 vid. Drakenborch. Accusativum posuit Statius: Theb. 7, 6: medium Borean illabere saltu cf. 12, 597. 1, 208. Incidere: Theb. 5, 233. 7, 131. 8, 1 subitus vates pallentibus incidit umbris 1, 3 menti incidit calor (transl.) Ov. Met. 5, 104. 4, 198. Inniti: Theb. 8, 136 terrae. 12, 144 hastae cf. Ov. M. 14, 819. Silv. 4, 238 Ov. M. 13, 916. 3, 599. Theb. 11, 675 irae (transl.). Irruere: Theb. 9, 233. Luc. 7, 60. Insilire: Ach. 2, 305. Ov. Trist. 1, 4, 7. M. 8, 367. 12, 345. Accusativum in nomine proprio urbis adhibuit Statius Theb. 2. 208 Ogygias eadem dea turbida Thebas Insiluit cf. 12, 597. 7, 6. Inspi-

rare: Theb. 6, 604. Ov. M. 1, 334. Sen. Hippol, 1008. Invigilare: i. e. vigilare in aliqua re et translate curam in aliqua re ponere: Theb. 8, 624 Quae decepta fides curam invigilare quieti. 3, 4 invigilant animo curae. 8, 263 invigilare malis Ov. Fast. 4, 530. Sil. It. 10, 231. Val. Fl. 1, 374. Luc. 7, 766. Adde Virg. Georg. 4, 158. Aen. 8, 605. Indubitare: silv. 3, 5, 110. Virg. Aen. 8, 404 ubi Servius notat, ante Virgilium hujus verbi usum fuisse nullum. Inluctari: Theb. 4, 790 teneris meditans verba inluctantia labris quo verbo, quantum equidem scio, praeter Statium usus est nemo. Infrendere: Theb. 2, 477 infrendens ipsi. Illacrimare i. e. ad, prope aliquid lacrimare: Silv. 5, 1, 162. Immori: Theb. 9, 19 dulcique nefandus Immoritur tabo. 1, 480. Ov. Pont. 3, 7, 40. Met. 6, 295. Sen. Hippol. 712. Herc. Oet. 868. Val. Fl. 6, 570 hastae cf. Hor. Epist 1, 7, 85 immoritur studiis. Quint 9, 3, 73. Innatare: silv. 4, 5, 40 gurgitibus puer innatasti pro dativo accipiendum censeo propter frequentem dativi apud Statium usum, etsi ablativum posuit Ov. Trist. 3, 4, 11 unda summa. — Plin. 8, 25 innatare flumini. Accusativum adjunxit Virg. Georg. 2, 451, undam levis innatat alnus. Ingemere, Ingemiscere: Theb. 10, 907 Ingemuit dictis superum dolor. Liv. 36, 28. Immugire: Theb. 10, 601. Vulneribus Virg. A. 3, 674. Sil. It. 17, 256. Inerrare: Theb. 10, 292. Augur inerrat Caedibus Aoniis 8, 644. silv. 1, 5, 58.

Verborum cum praepositione adjunctorum, quorum quaedam sunt rarioris[12]) usus, apud Statium satis magna copia invenitur, quibus adjecit dativum. Allabi: Theb. 2, 90 stratis. silv. 3, 2, 37 oris. Ov, M. 14, 243. Adhaerere: Theb. 4, 727 Visceribus. 5, 526 humo. Ach. 1, 570 lateri. Ov. M. 6, 641. Advigilare i. e. vigilare ad rem; Theb. 1, 147 advigilantia regum somnis pila. Tibull. 2, 5, 83. cf. Manil. 1. 81. Attremere: Theb. 308 terras coelumque fretumque Attremere oranti (vidi) cf. 8, 80. Adstupere; Theb. 3, 406 oranti. Ov. M. 3, 418.

---

[12]) cfr. Barth. ad Theb. 3, 406. Aem. Grossii: Dissertat. Observat. in Statii silvis specimen Berol. 1861, p. 28.

Adgemere: Theb. 6, 112. 11, 246, Ov. Tr. 1, 3, 112. Accrescere: Theb. 4, 355 Tac. ann. 1, 19. Adnatare: Theb. 7, 97, Sil. It. 10, 610. Aderrare; Theb. 9, 178. Silv. 2, 2, 120. Adcantare: silv. 4, 4, 55. Adsibilare: 5, 578. Adverberare; 9, 686. Adverrere: 4, 202. 4, 712: adverrensque natantia saxa Charadrus, ubi codd. fluctuant inter: adverrens, advertens, advolvens. Adaestuare: Theb. 5, 517. Advolvere; silv. 5, 1, 73 aris Prop. 3, 15, 1 Vell. 2, 80. Affundere Theb. 3. 686. Affrangere: Theb. 5, 150. 10, 47,

Verba cum praepos. inter composita, quorum quaedam Statiani sermonis propria sunt, dativum adjunctum habent: Intervenire silv. 2, 2, 15 montique intervenit imum Littus cf. Ov. M. 7, 454 11, 708. Intervirere: Theb. 4, 98 laetisque minax interviret herbis. 6, 639. Intersonare: 5, 344. Interfundere: 1, 62. Avien. Perieg. 255 cum acc. ibid, 1110 cum dat. Interiungere 6, 307. Intermiscere: Silv. 5, 1, 94 maniplis cfr. Markl. ad h. l. et Imhof. de silv. Stat. condit. crit. Halae 1859 progr. p. 17. Liv. 4, 56 turbam indignorum intermiscendo dignis.

Ex similitudine verbi dare (tradere) quaedam verba cum praep. trans composita dativum assumunt, quem cave pro locali habeas. Est enim, ut in ipso verbo tradere, species quaedam dativi quem dicunt commodi. Theb. 2, 73 cum te, tener Evie, partus Transmisere patri. 4, 4, 750 arcitenens seu te, Latonia, casto De grege transmisit thalamis. 5, 634, transfundere gremio. Dativum sequitur infinitivus epexeg. Silv. 3, 3, 78 longo transmisit habere nepoti. Similiter Virg. A. 3, 329 transmisit me Heleno habendam. cfr. etiam Th. 10, 630. Ablativum autem instrumentali vi indutum cognosce in his: Ach. 362 jam mutua jura Fallere transmissae pelago didicere carinae. Silv. 5, 3, 171. Si chelyn Odrysian pigro transmisit Averno Causa minor. Quod vero legitur Ach. 1, 229 de Thetide filium suum muliebri cultu induente „ac sua dilecta cervice monilia transfert“ in eo ablativus significat, unde sumta mo-

nilia transferantur ad filium, ut cervix matris intelligenda sit, quam quo vehementius amabat filius, eo facilius adduci poterat, ut monilibus inde sumtis ornari se pateretur. Hanc quidem sententiam secutus esse videtur poeta. Nam quominus intelligas cervicem filii in quam monilia transferuntur, obstat vis ablativi, quamvis sic etiam expeditior sensus efficeretur. —

Superest in hac de dativo quaestioae, ut enumeramus specium quandam verborum apud Statium semper structuram graecam, ut vulgo putant, sequentium. Quamquam concedendum non est, usum illum omnino prodisse e lingua graeca, quae et si ad eum stabiliendum magnam vim habuisse videtur, ipsa tamen significatio verborum non aliena est a vi dativi, quae est in lingua Romanorum. Dicimus autem verba pugnandi, certandi et quae sunt eiusdem generis, quibus cum subjecta sit vis adversandi, mirum non est, quod serioris aetatis scriptores dativi structuram induxerunt, quam Statius ita amplexus est, nusquam ut adhibuerit praepositionem ex more priorum. Pugnare: Th. 3, 88, 8, 289. Ov. M. 1, 19. Bellare: Ach. 1, 96. Th. 6, 320. 8, 506. 9, 15. 9, 791. Ov. M. 14, 794. H. Od. 2, 6, 15 cf. Lamb. Burm. ad Val. Fl. 5, 654. N. Heins. in Advers. n. 10. Certare: Silv. 1, 3, 4. 1. 2, 87 cf. de sententia Ov. Her. 18, 215. — Silv. 4, 6, 7. 4, 6, 22. 5, 3, 191. Th. 9, 247. 10, 231. 2, 215. Luctari: Th. 4, 43. 9, 264. 11, 522. Concurrere: Silv. 1, 2, 39. Th. 2, 510. 10, 902. Ov. M. 5, 89. 7, 30. 12, 595. 13, 275. 14, 472. Alius generis est, quod legitur Th. 2, 244, certant laetitia scil. inter se. Porro silv. 4, 2, 28 glauca certantia Doride saxa ubi abl. est qualitatis ut significentur saxa Dorica glauco colore. Sic interdum apud poetas nudus abl. ponitur loco adjectivorum: Plaut. As. 2, 4, 91 Mercator Rhodo Bacch. 2, 2, 53 Hospes Epheso. Merc. 5, 2, 98—102 Truc. 2, 6, 59.

De accusativo Graco vel respectivo disserendi cum occasionem mihi offerrent loci quidam, de quibus infra disputabo, operae pretium me fraeturum

esse existimavi, si omnia Statiani sermonis exempla collecta proponerem, quamvis rem non reconditam aggressus. Atque universam quidem accusativi Graeci vim constat esse restringendi, quippe qui substantivum et ejus attributum hac ratione inter se jungat, ut, quatenus pertineat id, quod de aliqua re praedicatur, exprimat. Cujus usus prima initia occurrunt in neutris adjectivorum, qualia sunt Virg Aen. 3, 594 caetera Grajus[13]) Hor. Epist. 1,10,50 Caetera laetus. Theb. 10,654 sed consanguinei quamvis atque omnia fratres. 5,435 similem nihil Orphea Thracae. Ach. 1,660 non adeo parebimus omnia matri.

Deinde loco adjectivorum substantiva substituerunt. Jam igitur enumeremus locos, ubi accusativus substantivi aptus est primum ab adjectivis. Theb. 2, 170 tales stirpemque animosque 4, 94 integer artus[14]) 4, 487. 3, 266 vultumque obliqua madentem. 8, 274 genas spectabilis aevo 4, 364 Pectora tabenti sanie gravis hirtaque setis Ora cruentata deformis hiantia lana 5, 635 vultum sordida, 5, 439 nudus uterque genas humeros exertus uterque. Ablativum posuit locali vi 11, 317 Scissa comas vultuque et pectore nuda 9, 155 blanda genas vocemque[15]) venit cf. 12,

---

[13]) cf Ruddim. II. p. 62 not. 47 Heins. ad Ov. Met. 9, 99.

[14]) Theb. 1, 214 Celsior ille gradu procera in membra simulque Integer annorum. Virg. Aen. 9, 255 integer aevi Ascanius i. e. robustae aetatis. Non alienum est ab hoc loco de discrimine genetivi et accusativi respectivi quaerere. Genetivus universam vim adjectivi ad certam speciem refert, accusativus quasi ad certum ambitum, ut in illa structura duae notiones adjectivi et substanti i in unam coalescant, in hac disjunctae maneant, primaria quidem adjectivi, altera substantivi fortuito accedens cf Haas. in schol. gramm. Etiam aliae praeter has duas occurrunt loquendi rationes velut Prop. 4, 5, 57 rugis integer annus i e. rugas non habens, liber rugis. Caes. 6, G. 3, 26 cohortes integrae ab labore i. e. quos labor quem perpessae erant, non contriverat (ut quaedam editt: „intritae“ pro „integrae“).

[15]) Ach. 2, 237 blandusque precum compellat Ulixes cf. adnotat. anteced. Genetivi ab adjectivis apti satis frequens apud Statium est usus. Theb. 3, 99 egregius fati mentisque. 1, 605 armorum praestans animique Silv. 4, 4, 46 felix curarum. 5, 3, 109 Si tu stirpe vetus famaeque obscura jaceres 5, 3, 135 laudum festinus et audax Ingenii cf Theb. 6, 75. Theb. 3.4 numquam manus

584. 9, 482 Turbidus imbre genas. 9, 457 intactus aquis humerosque manusque. 9, 766 saucius inguina 10, 233 terga boni. 12, 65 crinem decorus. 12, 548 externa genus turba. 12, 193 anxia mentem 12, 141 squallidus genas. Silv. 2, 2, 19 udaque crines Cymodoce. 2, 3, 68 Incorruptus fidem. 3, 4, 79 adultos fortior artus. 4, 2, 41 tranquillus vultus. Ach. 1, 351 torva genas cf. Theb. 2, 238. Utraque torva genis flavoque in vertice nodo, ubi est ablativus instrumenti significans unde fiat torvus habitus.

Proxime accedit ad notionem adjectivi participium perfecti passivi, quod saepissime apud Statium assumit accusativum respectivum: Theb 1, 61 trajectus vulnere plantas. 1, 90 resolutaque vertice crines. 1, 527 siccati vulnera lymphis. 2, 136 Rorantes excussa genas. 2, 232 dejectaeque genas cf. 3, 367. 2, 506 erecta genas cf. 5, 95. Ach. 2, 90. Ablativus instrum. legitur Theb. 2, 470 Erectus setis et aduncae fulmine dentis cf. supra Theb. 2, 238. 2, 655 vultum mutatus. 3, 135 squalentem sublata comam. 3, 228 tota perfusum pectora belli Tempestate videt. 3, 266 pectora summo Acclinata jugo. 3, 397 exceptus terga columna. 3, 467 Fronde comam et niveis ornati tempora vittis 3, 680 fletu signata genas. 4, 106 turpatus gymnade vultus. 4, 235 Exerti ingentes humeros cf. 5, 439 4, 314 correpta sinus et vertice flavum Crinem sparsa noto. 4, 433 Effusam pharetra cervicem excepta quiescit. 4, 462 ardua ferro Signati capita. 4, 566 pectusque adaperta cruentum. 4, 570 dextramque in terga reflexus 4, 616 Obsitus exhaustos pedore et sanguine vultus. Accusativum cum ablativo conjunxit: 4, 725 non ora modo angustisque perusti Faucibus cf. 3, 680. 4, 743 neglecta comam nec dives

---

irri a voti cf. 11, 511 7, 26 lenis belli (Mars). 2, 274 notique operum Telchines 3, 395 fessus bellique viaeque. 5, 118 laetus dolorum 8, 588 Praeterit haud dubium fati cf. 9, 493. 12, 560 Silv. 4, 2, 24 impetus aulae Liberior campi vid. Markl. Theb. 1, 118 medius coeli Parnassus cf. 4, 683. 5, 85 silv. 5, 3, 137 frequens pugnae. Theb. 8, 575 sanguinis insons vid. Vechneri Hellenol. p. 168 sqq. Reisig, adnot. 525. Lenz: de insolenti cum genetivo adjectivorum constructione Graud. 1849 progr.

amictu 5, 551 cervicem expostus in alvo. 5, 562 mollia colla refusus. 6, 31 squalentiaque ora Sparsus et incultam ferali purpure barbam. 6, 289 tergemina crinem circumdata luna. 6, 287 Danaë culpata sinus. 6, 356 citharaeque manus insertus Apollo. 6, 384 os fletu tinctus. 6, 554 Nuper Olympiacis umbratus tempora ramis. 6, 750 alte suspensi corpora. 7, 148 Purpureum tristi turbatus pectore vultum. vid. 3, 680. 7, 474 truces oculos sordentibus obsita canis. 8, 5 ignibus artus Conditus 8, 7 Sed belli sudore calens, clypeumque cruentis Roribus et scissi respersus pulvere campi. 8, 533 setigeram Lucana cuspide frontem Strictus aper 8, 731 summoque in margine campi Effultum gemina latera inclinantia parma Ponunt. 9, 163 Exutum canos lacero diademate crines. 9, 309 trajectus pectora ferro. 9, 534 Coelo mixta comas. 9, 570 somnum turbata figuris. 9, 713 fletuque genas violata. 9, 616 animumque innupta remansi. 10, 619 torta traiectus cuspide pectus. 10, 676 multo possessus numine pectus. 10, 807 sedet eruta multo Ungue genas. 10, 841 latus arborc clusus. 11, 86 sanguine foedatum rictus. 11, 239 exanimi suspensus pectora cursu. 11, 317 scissa comas. 11, 459 vittis exuta comam. 12, 364 crasso foedatam sanguine vultus. Silv. 1, 1, 32 puro celsum caput aere septus. 1, 2, 12 Lumina demissam. 1, 3, 109 omni detersus pectora nube. 2, 2, 71 animum virtute quieta Compositus. 2, 7, 5 Docto pectora concitatus oestro 3, 3, 3 vittata comam. 3, 4, 79 Umbratusqne genas. 4, 2, 34 sinus accincta Ceres. 4, 2, 54 diffusus nectare vultus. 4, 3, 68 Crinem mollibus impeditus ulvis 4, 6, 1 Phoeboque levatum pectora. 5, 1, 5 Apelleo vultus signata colore. 5, 1, 174 Immotas obversa genas 5, 1, 197 magno flammatus pectora luctu. 5, 2, 155 latus vinctus. 5, 3, 15 Fulta caput cithara. 5, 3, 115 Specieque comam subnexus utraque 5. 3, 143 Nunc Athamantea protectum tempora pinu. 5, 3, 207 confusus gaudia fletu. Ach. 1, 53 aequoreo diffusus nectare vultus cf. supra silv. 4, 2, 54. Ach. 1, 77 laniata comas. 1, 95 vultum demissa. 1, 302 nullo temeratus pectora motu. 2, 251 nodatus pectora palla. Adde Theb. 3, 600. In formis modi finiti passivis et activis. Theb. 6, 576 pinguique cu-

tem fuscatur oliva 7, 244 teneras defenditur atra Veste genas 9, 766 Figitur ora Lamus 1, 511 imbelles galea violabere vittas 2, 185 pectique jubas hominemque vereri Edidicit. Theb. 3, 709 genas fulgebitis auro 4, 261. Flaventem sordere comam 6, 724 extremos auro mansuaverat ungues.

Segregari debet ab accusativo Graeco seu respectivo species illa, in qua accusativus a verbo passivo aptus non eo, quo supra dixi, modo substantivum et ejus attributum inter se jungit, sed ipsius objecti vim habet proxime a verbo pendentis.

De quo non recte praecipiunt, qui medium quoddam genus verbi ad similitudinem linguae Graecae statuendum dicunt (v. Kuehneri gramm. lat. § 112 not. 14,) Dico autem verba „induere, exuere, amicire et quae sunt similis notionis. Pertinent enim ea ad speciem verborum, quibus in genere activo duplex accusativus adjungi solet, alter personae, alter rei, vi quadam immanentis accusativi, quem dicunt, quasi sit: „induere aliquem aliquid" quae structura cum in activo genere inusitata [16]) sit, tamen accusativus rei formis passivis adjunctus non aliam admittit explicationem. Theb. 1, 485 leonem vestitur i. e. pellem leonis 2, 96 Tiresiae vultus vocemque et vellera nota Indutiur cf. 7, 127. 6, 733 Tegmina cruda boum Induitur cf. Ov. M. 2, 425. 2, 850. 1, 270. 4, 481. 5, 51. 7, 182. 6, 568. 11, 203. 11, 589. 14, 45. 14, 262. Virg. A. 2, 293. 7, 638. Theb. 3, 426 Fama sono varios rerum succincta tumultus. 6, 835 terrificos amictus exuitur patriumque suem cf. silv. 1. 3, 71. Th. 10, 640 priores exuitur vultus. 10, 647 Amphitryoniaden exutum horrentia terga cf. Ov. M. 7, 318. — Usitatam Ciceroni structuram ablativi rei habes: Th. 6, 30 exutus honoro Vittarum nexu genitor cf. silv. 2, 2. 22.

Alius est usus in locis, quos supra attulimus, ubi accusativus significat corpus vel partem corporis, quae

[16]) Vide tamen quaedam eius vestigia apud Ruddim. II. p 177 not. 67.

exuitur vestimento, quam speciem accusativi Graeci esse volumus: Theb. 9, 163 exutus canos lacero diademate crines. 11, 459 vittis exuta comam cf. silv. 5; 2, 155.

Ex similitudine verbi exuere: silv. 5, 1, 150 Carpitur eximium fato Priscilla decorem cf. Theb. 6, 90. 2, 231 Candida parpureum fusae super ora ruborem. Parem structurae rationem inesse censeo in his exemplis quae vulgo ad normam accusativi respectivi referuntur: Theb. 4, 267 Imbelli parma pictus Calydonia matris Proelia. 11, 199 Eumenis Inachii vultus expressa Perinthi — silv. 1, 2, 13 vinctuque latino Dissimulata deam. Val Fl. 1, 398 pocula expressa casus bellorum [17]. Theb. 2, 277 infaustas percussum a-

[17]) Levissima est Marklandi de his locis sententia, qui ad silv. 2, 1, 97 p. 217 passivam verbi formam utique pro activa usurpari censet, ut expressa casus idem sit atque exprimentia casus, dissimulata deam idem ac dissimalana deam, et ad eundem usum quodvis aliud verbum refert velut Theb. 9, 425: Dotalesque rogos deceptaque fulmina vidi ubi decepta fulmina ait esse decipientia fulmina. Locus quem obiter tangit Marklandus mentione dignus est aliam ob causam, quare eum plenius exscriptum proponamus:

Huncne mihi superum regnator honorem
Quod totiens hospesque tuis et conscius actis
(Nec memorare timor) falsa nunc improba fronte
Cornua, nunc vetitam currus disjungere Phoeben
Dotalesque rogos deceptaque fulmina vidi
Praecipuosque alui natorum!

Argumento est hic locus si qui alius, quam multa aliorum auctorum in scholia Lactantii irrepserint et sub ejus nomine posteris tradita sint, quo non usum esse prae ceteris locis in dissertat. sua Schottk. miror. Scholia autem, Lactantio quae tribuuntur extant haec: ad verba „falsa nunc improba fronte Cornua“ Anticopam Nyctei filiam stupravit Juppiter in Satyrum versus, matrem Zeti et Amphionis, ideo falsa cornua quia cornuti sunt Satyri, quorum imaginem falsam sibi sumpserat Juppiter. Ad verba „disjungere Phoeben“ hoc contigit, cum Hercules nasceretur, nam tres a Luna continuatae sunt noctes. Lucanus in catagonio:

Thebais Alcmene qua dum frueretur Olympi
Rector Luciferum ter jusserat Hesperon esse.“

Ad verba „deceptaque fulmina“ „quia indisposite fulmen Semelen extinxit, primam ergo fabulam Europae dicit, secundam Alcmenae in qua ter geminata est nox, tertiam Semeles, quam fulmine suo Juppiter incendit, quartam Ledae, quam Juppiter prope flumen viciavit mutatus in cygnum“ Primo obtutu oculorum apparet, auctorem priorum scholiorum et tertii inde a verbis „primam ergo fabulam“ non eundem fuisse. Illic enim verba „falsa nunc improba“

damanta figuras. Silv. 2, 3, 53 Illa dei veteres animata calores [18]). Cf. etiam Tac. Hist. 3, 24.

---

fronte cornua" referuntur ad Antiopae struprum, hic a Europae — illic scil. in initio tertii scholii verba „deceptaque fulmina" ad Semelen spectant, hic ad Ledam. Simul etiam perspicuum est, auctorem tertii scholii in verbis poetae legisse „deceptaque flumina vidi" et propterea de Ledae stupro cogitavisse. Nec non commendaret so illa scriptura, ni causa gravior obstaret. Ita enim Theb. 10, 504 de fabula Ledae „falso gurges cantatus olore" cum scholio „proprie dictum, quia non cygnus sed Juppiter in cygnum versus ad Ledam venerat." Sed non licet de Leda cogitare, ubi Ismenus, fluvii deus increpans Jovem ejus stupra enumerat, quibus se hospitem ait fuisse et conscium. Nam Ledae stuprum factum esse constat ad Amyclas, longe remota a Thebis, ubi Ismenus est deus, regione. Inde Castor et Pollux Amyclei fratres nominari solent vid. Theb. 7, 413 et v. 163. Contra quae Thebana regione facta sunt stupra enumerata vides, eodem fere, quo hic, ordine a Baccho Jovem allequente. Theb. 7, 189 sqq.

Hic tibi, quando minor jam nostra potentia, noctes
Herculeae placitusque vagae Nycteidis ardor,
Hic Tyrium genus et nostro felicior igne
Taurus: Agenoreos saltem tutare nepotes.

Quocirca omnino tenendum est „deceptaque fulmina" quod quid sit, scholiasta indicat his „quia indisposite fulmen Semelen extinxit." Decepta enim fulmina dicuntur, qui dolo Junonis Jovi assumpta fuerant non ad usum consuetum sed ad extinguendam Semelen.

Quod vero ad scholiorum originem attinet, tertium illud inde a verbis „primam ergo fabulam" interpolatum esse dico.

[18]) Marklandus p. 236: „Jam vero qua analogia, quo sensu interpretabimur istud animata calores, quippe notus ille Graecismus, quo subintelligitur praepositio κατὰ hic locum potest habere, nec enim non potes dicere arbor animata calorea eo modo quo clipeus caelatus pugnas apud Nostrum Ach. 2, 178 et arma expressa casus et flores inscripti nomina regum apud Virgilium. (Ecl. 3, 106.) In illis enim locis idem est ac si dixissent „clipeus qui pugnas caelatas habet et arma quae casus expressos habent seu exprimunt et flores qui nomina regum inscripta habent" nullo vero sensu potes dicere arbor quae calores dei animatos habet." Si Marklandus negat, illum Graecismum „quo subintelligitur praepositio κατὰ" locum habere posse in „animata calores" ne in illus quidem potest „arma expressa casus, flores etc. Sed est omnino levis illa explicatio a Marklando proposita, neque quidquam resipit doctrinae, quam alias in viro sagacissimo admiramur. Nam simili ratione dicitur „arbor animata calorea, der baum beseelt mit der gluth" atque arma ex pressa casus, ausgepraegt mit den ereignissen", et haec omnia exempla „clipeus caelatus pugnas, Eumenis vultus expressa Perinthi, dissimulata deam etc." redire censeo ad vim verborum „induere, exuere" de quibus supra disputavimus. Neque est profecto, cur de tali locutione dubitemus praesertim in Statio, qui persaepe dictionem quaerit artificiosam.

Infinitivi perfecti pro praesentis infinitivo usurpati apud Statium exempla passim sunt obvia, in quibus quamquam duorum infinitivorum est interdum tam tenue discrimen, ut aciem mentis facile effugiat, tamen falsa est eorum opinio qui nullum discrimen intercedere volunt inter infinitivum perfecti et praesentis[19]). Interdum ratio est haec, ut actio verbi et ad praesens et ad perfectum tempus aequo jure referri possit, sed in nonnullis locis primaria perfecti vis elucet, velut in verbis „velle, cupere" et similibus ubi perfectum significat ardens desiderium mentis, quo rem optatam quasi jam expletam nobis fingimus.

Theb. 8, 615. Nutat utroque timor, quemnam hoc certamine victum
Quem vicisse velint.

1, 86. Da Tartarei regina barathri
Quod cupiam vidisse nefas

Ach. 2, 80. Avidusque novos heroas et arma
Vel talis vidisse cupit.

Theb. 12, 115. Dircen infaustaque Cadmi
Moenia posthabitis velit incoluisse Mycenis.

cf. 8, 720. 10, 72. Similiter dixit Theb. 1, 321.
et sedisse superbus
Dejecto jam fratre putat.

6, 440. Speravit flexae circum compendia metae
Interius ductis Phoebius auctor habenis
Anticipasse viam.

Semper usurpat Statius perfectum in in „fas dixisse" de eo, quod revera eloquitur: Ach. 2, 229 silv. 2, 1, 82. 5, 3, 265 cf. Ach. 1, 74. Aliter Persius Sat. 1, 8 si fas dicere" de eo

---

[19]) cf. Perizonium et Bauer. ad Sanct. Min. 1, 14. p. 133 et 135. Vechneri Hellenol. p. 244 sqq. Heusing. ad Cic. off. praef. p. 62. Melius Reisig § 290 interdum propter metricas rationes infinitivum perf. pro praesenti apud poetas usurpari ait. Walch. emendatt. Livian. p. 50. Kritz. ad Sall. Jug. 31, 27. „Obiter tamen moneo, alium esse apud poetas infinitivi perf. usum, quos sola metri dactylici ratio, quippe cui multorum verborum infinitivi praes plane non adaptari queant, perfectum ponere cogit.

Fr. Bellermanni Dissert. de verss. nonnullis Tibulli Jenae 1809 editam p 21. Haus. ad Reisigii gramm. not 453.

quod eloqui dubitat. Praesentis infinifivum posuit in aliis verbis cf. silv. 1, 5, 61—4, 2, 17 — Th. 12, 79. In verbis „posse, juvat" et similibus:

Theb. 6, 500 non ipsae horrore sine alto
Eumenides vidisse queant.
9, 274 poterat resolutus Agenor
Emersisse vadis: puduit sine fratre reverti.
10, 938 potuit fulmen meruisse secundum.
9, 526 quid ripas tenuisse juvat.

cf. silv. 2, 1, 188. 1, 3, 96, 2, 6, 50 cum emendat. Markl. Ex similitudine horum locorum explicandi sunt:

Theb. 3, 561 Silvas amor unus humumque Edomuisse mann
3, 591 Nec pudor emerito clipeum vestisse juvenco
2, 84 lacte novo domuisse cruorem Luxus
7, 650 Quis lucos, vetitus quibus emansisse sacerdos
Suasit et assuetum Bromio mutare furorem
Silv. 5, 3, 141 sit pronum vicisse domi cf. Theb. 1, 163
silv. 2, 5, 12 Hoc licuisse nefas placidi timuere Lones

ubi Marklandus: „Hanc lectionem falsi arguit sensus communis: nemo enim timere potest aliquid licuisse quippe timor locum habet, ubi in incerto res est, non ubi praeteriit, quod timuimus." Emendat autem „hoc licuisse nefas placidi gemuere leones" non inepte si omnino abjicienda esset lectio mss. quae tamen defenditur loco Hor. art. poet. 455" Vesanum tetigisse timent fugiuntque poetam.

Persaepe jungit poeta duo infinifivos, alterum praesentis, alterum perfecti, nullo proprio discrimine temporis distinctos sed in quibus altera actio, perfecti, possit ad utrumque tempus et praesens et perfectum referri. Namque perfectum, ubi usurpatum est, potest commode suam vim tueri, non debuit necessario poni. Videtur autem poeta plerumque quandam varietatem sermonis quaesivisse, interdum etiam metricas rationes secutus esse.

Theb. 12, 517 Juvat orbe sereno Contempsisse nives et frigora solvere Nilo.
silv. 5, 3, 230 Quod subdere robur
Illa dies, quantum potuit dempsisse senectae.
5, 3, 275 Fas mihi sit patrios contingere vultus
Fas junxisse manus.

5, 2, 167. 3, 3, 65. 3, 3, 110 sed jura tamen genetalia cordi
Et mentem vincire toris et jungere festa
Connubia et fidos domino genuisse nepotes.

cf. 5, 1, 96 cum adnott. Markl. et Imhof. de Silv. Stat. Conditione critica progr. Halae 1859 p. 17. Theb. 4, 350 cum varia temporis mutatione. Silv. 5, 5, 84 vid. Markl.

Post substantiva „ardor, mens, licentia, reverentia"

Theb. 9, 675 Idem ardor rabidis extremum haurire cruorem
Ac fudisse suum.
1, 171 Atque aliquis, cui mens humili laesisse veneno
Summa nec impositos umquam cervice volenti
Ferre duces.
4, 376 Cui non et scire licentia passim Ac vidisse fuit.
4, 815 nec implicitos fluvio reverentia reges
Proterere, aut mersisse vado clamantis amici
Ora.

Infinitivo historico utitur Statius ad exprimendas actiones non uno aliquo temporis momento absolutas sed suspensas vel iteratas. Est igitur eius usus in vividiore descriptione, qua imago rerum quasi ante oculos nobis ponatur.

Theb. 2, 308 Postquam regales epulas et gaudia vulgi
Bisseni clusere dies, Ismenius heros
Respicere ad Thebas jamque et sua quaerere regna
2, 544 Tunc horrere comae sanguisque in corde gelari
4, 580 Talia dum patri canit intemerata sacerdos
Illius elatis tremefacta assurgere vittis
Canicies tenuique impelli sanguine vultus.
1 621 Hi trabibus duris solatia vana dolori
Proterere exanimes artus asprosque molares
Deculcare genis: nequit iram explere potestas.

cf. 5, 326. Ach. 2, 436. Silv. 2, 1, 122. 5, 3, 146 sqq.
Infinitivus cum modis finitis junctus legitur:
cf. Th. 3, 585. 7, 65

tremit ecce solum et mugire refractis
Corniger Hebrus aquis, tunc quod pecus utile bellis
Vallem infestabat, trepidas spumare per herbas,
Signa adventantis, clausaeque adamante perenni
Dissiluere fores.

Theses.

1. Antiquarum litterarum historiam itemque disciplinam antiquitatum gymnasiorum discipulis ratione ac via tradendas esse contendo.

II. Locum Cic. Inv. Rhet. I. 5. 6. „Inter officium autem et finem hoc interest, quod in officio, quid fieri; in fine, quid officio conveniat, consideratur“ emendandum censeo sic: „in officio, quid fieri; in fine, quid effici conveniat, consideratur (cf. progr. semin. philol. ad fest. semisecul. univers. Vratislav. a. 1861).

III. Stat. Theb. V, 551 „Sic etiam obliqua cervicem expostus in alvo“ interpolatum esse dico.

IV. Stat. Silv. V, 3, 119 etenim te divite ritu Ponere purpureos infantia adegit amictus“ pro „ponere“ scribi velim „promere.“

Vita.

Natus sum Josephus Aemilius Nauke a. d. VII. Id. Octobr. a. h. s. XXXVIII Wansenis, oppidulo Silesiae, patre Francisco, matre Maria e gente Kaufmann, quos abhinc annos jam multos morte mihi ereptos esse doleo. Fidem profiteor catholicam. Primis linguae latinae elementis privatim institutus in discipulorum quarti ordinis numerum receptus sum a Viro Ill. Wissowa, quo auspice adhuc floret gymnasium regium catholicum Vratislaviense, cuius cum discipulus fuissem per sex annos, testimonio maturitatis accepto, mense Octobr. a. h. s. LVII. hanc Almam Viadr. adii, litteris antiquis operam daturus. Ordini civium academicorum adscriptus a Viro Ill. Elvenich, qui tum fasces tenebat academicos, rite nomen dedi apud V. Ill. Loewig id temporis ordinis philosophorum decanum. Ex quo tempore scholis interfui VV. Ill. Haase, Junkmann, Rossbach, Vahlen, Elvenich, Westphal, Roepell, Braniss, Luebbert. Tribus annis peractis in seminarium philologicum receptus sum, cuius sodalis magna cum utilitate mea fui per quatuor semestria. Nunc confecto cursu studiorum meorum academicorum pia mente rocolenti mihi memoriam virorum de me insigniter meritorum, imprimis nominandus est Vir Reverend. Johannes Schneider, nunc presbyteri munere fungens in ecclesia ad St. Matthiam Vratislaviensi, fideique praeceptoris in schola ad St. Spiritum, qui cum esset meae patriae urbis capellanus eximia sua humanitate, nulla vero mercede ductus puerum me docuit linguam latinam deinde patrem meum propter angustias rei familiaris diu repugnantem commovit, ut gymnasium me adire sineret, post vero, patre meo mortuo, eum semper in me praestititanimum, ut tum orbitatem puero mihi leniret, tum consilio et opibus, quoad potuit, benignissime me juvaret. Deinde gratiam habeo maximam praeceptoribus meis dilectissimis, VV. Ill. Janske, Winkler, Pohl, Baumgart, Runkel, Scholz, Schedler, Kuschel, Dittrich, Prof. Schmoelders in primis rectori gymnasii Viro Ill. Wissowa. Quo tempore autem studiis academicis operam dabam, insigni admiratione sui et amore me vinciebant Proff. Ill. Haase et Rossbach, quorum eruditione institui cum semper plurimi esse putarem, tum singulari benevolentia, qua me prosequebantur, admodum ornabar ac delectabar.

Nec minus grato animo recordor V. Ill. Dr. Luebbert, cuius tum scholis privatissimis interfui magna cum mea utilitate, tum sincerum familiaremque animum, quo me semper est prosecutus, magno mihi decori esse putavi. Quibus viris omnibus utinam gratiam, quam tacito semper habui, aliquando referendi sit mihi occasio.